



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm SS. Caprasii, Fidei, ac sociorum: Ex eo quod est apud V. P. Laur.
Surium. Paßi sunt anno Christi trecentesimo tertio. Marcellini Papæ 7.
Dioclet. & Maxim. Impp. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Tandem pijs bonorum operum sanctarum-
que institutionum exercitijs cōprobatuſ, cum
duos & quadraginta annos in dignitate pasto-
rali exegisset, illibatum & incontaminatum
Christo reddidit spiritum : sepultus in basilica
quam apud ciuitatis suburbium ipse condi-
derat.

*Obitus eius.
Locus Sepul-
turae.*

MARTYRIVM SS. CAPRASII, FI-

*Vide & T.
mo 3. Ann. 1.
C. Baron.*

dei, ac sociorum: Ex eo quod est apud V. P.
Laur. Surium. Passi sunt anno Christi trecenti-
tesimo tertio. Marcellini Papae 7. Dioclet. &
Maxim. Imp. 20.

30. Octob.
* in Gallijs
fuit.

*Patria &
parentes S.
Fidei.*

FVIT in ciuitate a Agennensium eximia
pulchritudine virgo, Fides nomine, ve-
teri & generosa stirpe parentum nobilis,
sed Christi munere longè nobilior : quæ pri-
ma in ciuitate Agenno, decus & exemplum
martyrij cunctis CHRISTI fidelibus fuit.
Iuuenis quidem illaræ passionis fuisse dicitur
tempore, sed sensu & opere senex manebat;
pulchra facie, sed pulchrior mente: virginita-
tis quoque candore formosissima, vultusque
hilaritate serena.

* *Rithoua-
rum: prae fuit
etenim Da-
cianus in
Hispanijs.*

*Sistitur ad
tribunal praes-
idis.*

Eodem igitur tempore Praeses sceleratissi-
mus, nomine * Dacianus, à profanis Imperato-
ribus Diocletiano & Maximiano, ad Agennen-
sem urbem missus, vt & sacrilegos beneficijs
remuneraret, & Christianis ibidè metu ipsius
latentibus atrocissimas poenas inferret: conti-
nuò beatissimam virginem Fidem suis iussu
conspicibus praesentari. At illa spontè se mi-
nistris offerens, armata vexillo sanctæ Crucis
in fon-

in fronte, ore, & pectore, sanctoque roborata spiritu, hilari animo ad præsidem perrexit: & de nomine suo ac religionis professione quæsitâ, nullo perterrita metu & nomen suum & Christianæ fidei professionem edidit. Præses verò callida simulatâque tranquillitate paulò indulgentius respondens: Accipe, inquit, ô iuencula consilium pulchritudini atque iuuentuti tuæ necessarium: & cessa ab hac confessione, & magnæ Dianæ sacrificia, & multis te muneribus amplificabo. Quam promissionem Christi virgo pro nihilo reputans: A patrum, inquit, traditionibus cognoui, omnes gentium deos dæmonia esse: & tu mihi blanditijs persuadere vis, ut ego eis sacrificem?

Præses hoc virginis responso exandescens: Aut, inquit, prostrato corpore quantocyus dijs sacrificia, aut ego te diuersis excruciatam tormentis morte mulctabo. Ad ea, sancta Fides, exemplo magnorum martyrum roborata, à terrena vita ad supernam gloriam migrare desiderans, in hanc vocem prorupit lætabunda: Ego pro Domini mei I E S U Christi amore, non solum diuersa tormenta, sed & mortem subire parata sum. Tunc Præses furore concitatus, iussit satellitibus ut virginem in lectum æreum extenderent, suppositoque igne, tenera illius membra crudeli supplicio disrumperet. Itaque candentem craticulam tenera virgo vitrò conscendens, diuaticatis membris per quatuor partes extenditur, lorisque ferreis coarctata, per flammeam cratem prouoluitur. Cui impij ministri ferreis batillis arden-

*Index nihil
sur blandi-
tijijs & mu-
neribus eam
subuertere.*

*Cõstans eius
responsum.*

*Assuetus in
craticula
inie-*

Multi credunt, & martyrium obeunt.

S. Caprasius & latebris videt virginē in craticula torreti.

Viso eim.

Ignis per columbam diuinum extinguitur.

inieceto, ad latera vsque torrida incendia subuolare cogunt. Quo spectaculo, crudeli nimis atque horribili, multi è populo permoti, vni voce impietatem Iudicis & iniusta iudicia damnarunt: virginisque constantia ad fidem perducti, gloriosam martyrij palmam consecuti sunt.

Dum hæc agerentur, sanctus Caprasius, cum cæteris Christicolis persecutionem sacrilegi tyranni declinans, ad septentrionalem vrbs plagam sub foramine cuiusdam rupis positus latebat, & omnia quæ intra muri ambitum gerebantur, clara oculorum acie exindè prospiciebat. Qui sub eiusdem diei articulo, ab ipso speluncæ foramine ad vrbs propugnacula ad spectum dirigens vidit sanctam martyrem super carbonum incendia impiorum immanitate torqueri. Eleuatis igitur oculis, & cælum intuens, profusis lachrymis à Deo virgini in præsentem certamine victoriam precabatur; & humi toto corpore prostratus, petebat à Domino, vt cælestem ei virtutem ostendere dignaretur: & eccè columba de nubibus niue candidior descendens, rutilantem interlucentibus gemmis super gloriosæ martyris caput visa est deponere coronam.

Deindè blando alarum volatu, dulciq; pennarum applausu cum imbriferâ rore totam vim flammarum extinxit, pyramq; incendij torridi, quasi irriguis fontibus tali volatu repressit. Vir etiam sanctus vidit beatissimam Fidem veluti pugilem egregiam, nõ tortorum ictibus læsam, non igni exustam, neque corpore sauciata, sed cælestibus ornamentis stare redi-

redimitam. Tunc securus non imparibus meri-
 rise eandem gloriam subiturus, rupem, sub qua
 habitabat, dextera sua percussit, & continuo
 inde fons iugis aquæ emanauit. Quæ vsque in
 hodiernum diem currens indeficienter salutis
 remedium cunctis aduenientibus in virtute
 Dei præstare non desinit. Hic ergo vultu hila-
 ris, spiritu alacer, corde intrepidus, cæteris ig-
 norantibus, ad locum, ubi gloriosa virgo & mar-
 tyr Fides statuarum incendia sustinebat, im-
 prouisus aduenit, & Christum publica voce
 prædicans, vltro martyrij certamen expetijt.
 Præses visâ animi illius constantia, nomen, pa-
 triam, & genus requisijt. Cui sanctus Capra-
 sius respondit: Inprimis quod præclarum est,
 Christianum me profiteor, in regenerationis
 lauacro Caprasius dictus. Hoc audito, præses
 blâdis eî sermonibus deliniri posse speras: Vi-
 deo, inquit, te decorum iuuenem egregijs na-
 turæ adiumentis ad res arduas, & principum
 amicitiam perfruendam, natum: quare te hor-
 tor, vt meo acquiescas consilio, & amplissimis
 bonis ac prædijs securè fruaris. Ad hæc Capra-
 sius cælestibus admonitus mirabilibus: Prædia
 inquit, & bona amplissima ab eo securus expe-
 cto, qui est fidelis in verbis suis & sanctus in o-
 mnibus operibus suis. Præses ergo vt vidit im-
 mutabilem eius mentem, iussit ministros sine
 pietate in eius corpus sequi, carnesque lania-
 re. Cumque hoc factum fuisset, & martyr per
 omnia supplicia inuictus, alacri vultu populis
 presentibus Christi nomen prædicaret: ingens
 animorum motus in plebe exortus est. Cum e-
 nim sanctus martyr omnibus esset amabilis, &
 maxi-

*Fons mirā-
 culosè exo-
 ritur ad sa-
 crum manus
 viri Dei.*

*S. Caprasius
 palāse Chri-
 stianum cla-
 mat.*

Psalm. 144.

*Grauer tor-
 quetur, nec
 vincitur.*

maximè inter tormentorum quæstiones celesti quodam decore aspersus, populi magno eulatu frementes, iudicem crudelitatis impietatisque constanter arguebant; quod sanctum Dei, & omni pietate ornatum tanta crudelitate perditum iri vellet. Inter omnes autem duo fratres Primus & Felicianus constantiam sancti martyris in perferendis supplicijs admirantes, amore Dei anhelos pectore flagrant, tam fide quàm opere cõtinuò huic se agoni sociauerunt, mortisque periculis alacriter intecerunt. Quos oēs ad iugulũ mortis vna cõspiratione collectos, mox vt vidit sæuus ille carnifex, data sententia, duci ad delubrum præcepit: vt ibi aut dijs immolarent, aut flexis cervicibus terribilem mortem exciperent. Ducti ergò vnà cum B. Fide ad prædictum locum, cum nulla vi ad sacrificadum compelli possent, cæsis capitib. cum triumpho martyrij ad coronã gloriæ feliciter simul peruenire meruerunt.

Primus & Felicianus martyri se sociant.

Plectuntur capite SS. martyres.

En veterum fidelium deuotionem in colligendis Sanctorum reliquijs.

Elenatio reliquiarũ SS. Martyrum.

Miracula ad sepul. eorum.

Horum autem corpora tormentis miserabiliter lacerata, cæsisque capitibus obruncata deuota Christi plebecula, cum summa ueneratione latenter colligens, & sacri effusionis sanguinis mundissimis pannis extergens, in loco tanta sanctitate digno honorificè condidit, vbi multis annorum decursibus ad tempora vsque Dulcitij Episcopi latuerunt: qui eleuatis de terra reliquijs, nouam in eorum uenerationem construxit Basilicam, quàm primario tamen titulo Fidei virginis dedicauit: quorum meritis ad salutem omnium innumera cælitus ibidem ostenduntur miraculorum insignia.

Marty.

Martyrium SS. Ursulae inuenies ad finem huius libri.

VITA S. HILARIONIS ABBATIS:

Ex ea quae est per D. Hieronymum. Migravit è corpore anno Christi trecentesimo septuagesimo secundo, Damasi Papae 6. Valentiniani, Valentis Imp. 9. Vide C. Baron. Tom. 4. Annal.

HILARION ortus vico Thabatha, qui circiter quinq; millia à Gaza vrbe Palaestinae ad Austrum situs est, cum haberet parentes idolis deditos, rosa, vt dicitur, de spinis floruit. A quib. missus Alexandriam, grammatico traditus est: ibique quantū illa patiebatur aetas, magna ingenij & morum documenta praeuit in breui, charus omnibus & loquendi arte gnarus. Quodque his maius est omnibus, credens in Dominum Iesum, non Circi furoribus, non arenae sanguine, non theatri luxuria delectabatur: sed tota illi voluntas in Ecclesiae erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonij, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim vt eum vidit, mutato pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplatus ordinem vitae, morumque grauitatem; quam creber in oratione, q̄ humilis in suscipiendis fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, & vt continentiam, cibiq; eius asperitatem nulla vna infirmitas frangeret. Porro frequentiam eorum, qui ad eum ob varias passiones, aut impetus demonum concurrebant, vltra non ferens,

21. Octob.
S. Hilarionis
Patria.

Adhibetur
litteris.

Manet duobus mensibus
apud S. Antonium: cuius vitam habetur 17. Ianuarij.

nec